



**R. P. Christophori Gillii, Ex Brigantio Lvsitaniæ, Societatis
Iesv, Et in Conimbricensi Academia S. Theologiae
Professoris; Commentationvm Theologicarvm De Sacra
Doctrina, Et Essentia atque vnitae ...**

Gil, Christovão

Coloniae Agrippinae, 1610

Quam certitudinem faciat communis consensus Doctorum. cap. 13.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-82291](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-82291)

Concil. Flor.

Theologorum fundatam in regula fidei, verbi gratia, vinum vitis esse propriam materiam calicis, definitum est in Concilio Florentino, & ideo siue Philosophi dicant vinum ex alijs rebus facta esse eiusdem speciei cum vino vitis, siue huius esse plures species, non est curandum, sed persistendum in veritate Theologica: nempe quod omne, ac solum vinum vitis ad consecrationem adhiberi valide ac licite possit.

VII.

In rebus autem pure Theologicis præstat autoritas Theologorum, sicut & iuris peritorum in ijs qui pendent ex iure humano. Prior pars ex eodem fundamento elicitur, quia peritis in propria arte credendum est. Res autem pure Theologicas intelligo, quæ præcipue versantur in questione apud Scholasticos, & suppositis fidei principijs adiuncta ratione naturali, vel saltem discursu colliguntur: quæ in re, cum inter ceteros maxime elaborant Theologi, ipsorum præcipue curanda est autoritas: nam antiqui Patres in scripturarum interpretatione, & dogmatum aduersus hæreticos defensione occupati, his studiis non ita vacare potuerunt: & ita quauis ex ipsis principia aliqua eruerent Theologi eurent, non est tamen negandum scholasticorum opera Theologia esse valde locupletata, neque ex Patrum doctrina sumi posse omnia, quæ ad eam conducunt. Iam verò Philosophi, cum non conueniant nobiscum in principiis fidei, ex quibus pendet Theologia, nullam quoad res pure Theologicas autoritatem habent, iuris autem periti ferè nullam quo ad speculationes Theologicas, ut rectè docet Canus lib. 8. de locis c. vltim. cõclusionem primam & secundam, Bannes ar. 8. in fine: quoniam toti versantur in explicando iure humano, & Christiani hominis officijs, & id genus alijs, quatenus ex iure pendet: ab speculationibus autem Theologicis abhorrent. Quod autem in ijs, quæ pendent ex iure humano, præferenda sit ipsorum sententia, ut docet Canus capite citato cõclusionem 3. Bannes citatus, Patet ex eodem principio: nam iuris scientia magna ex parte non pendet ex Theologicis speculationibus, sed ex terminorum notitia & interpretatione iuris. Verum quidem est Theologum, qui considerat ius naturale, ac diuinum, quo continentur principia iuris Canonici, in iudicando vtrum in his, vel illis euentis obseruatio iuris positiui repugnet iuri diuino & naturali, plus habere autoritatis, sicut in omnibus scientijs habent ijs, qui considerant superiora principia. In interpretando tamen humano iure, & decidendis questionibus circa illud emergentibus primas partes vendicant iuris Periti,

Canus,
Bannes.Canus,
Bannes.

maxime in ijs, quæ pertinent ad forum exterius, neque quo ad hoc decet ut Theologorum forentium causarum, & iudicialis ordinis ignarus iuris peritorum sententiam rejiciat, suamque statuatur. Ex quibus patet quibus ad singulas materias autoribus vtendum sit Theologo: & quorum autoritas pro rerum varietate præferenda sit. iam videndum quod robur habeat in singulis materijs multorum autoritas.

Quam certitudinem faciat communis consensus Doctorum.

CAPVT XIII

Postquam in genere dictum est, quinam Doctores, & ad quasnam questiones Theologicas adhiberi possint ac debeant, dicendum quæ vim habeat plurium autoritas. Et quidem autoritas omnis humana citra testimonium diuinum non præstat argumentum infallibile omnino, sed probabiliter ut ait D. Thom. 1. p. q. 1. ar. 8. ad 2. Explicandum tamen est in particulari quæ vis sit in multorum autoritate. Plures autem Doctores circa aliquam controuersiam vel communiter cõsentiant, vel in duas, aut plures sectas diuisi oppositas sententias defendunt. Porro cõmunis opinio aliter apud Theologos, aliter apud iuris peritos accipitur: Theologi communem vocant quando omnes, vel ferè omnes paucis exceptis eandem sententiam amplectuntur: iuris periti verò eam, quæ multorum Doctorum autoritate fulcitur, siue oppositam multi etiam sequatur siue non: & ideo apud ipsos referri solent oppositæ sententiæ communes eadem de re, quando scilicet vtrique pars habet graues & multos authores, ut videre est apud Hieronymum de Cauallis in speculo aureo opinionum cõmunium contra communes, quo etiam modo interdum loquuntur Theologi, cum verò in Theologia sint diuersæ familiæ sub diuersis autoribus, quamuis inter eiusdem familiæ Doctores sententia aliqua cõmuniter recipiatur, si tamen ab alterius familiæ Doctoribus rejicitur, dici non debet simpliciter cõmunis, sed cum addito communis inter Thomistas, aut Scotistas: quæ in re multi insolenter agunt, opinionem inter suos receptam communem simpliciter appellando, & contrariam temeritatis arguendo, cum tamen non paucis grauib. doctoribus fulta sit. Sententia verò alicuius doctoris singularis dupliciter esse potest, nimirum negatiue & contrariè, negatiue cum scilicet

ipse

ipse solus ea de re locutus est, alijs neutram in parte opinantibus: contrariè, cum vnus, vel alter recedit ab opinione communiter recepta.

II.

Dico primum, quando inter ipsos doctores, siue sacros, siue scholasticos, siue iuris peritos est controuersia, ita vt ex vtraque parte sint authores probabiles, nõ sumitur certum argumentum Theologicum, sed tantum probabile. Ita D. Thom. quodlib. 3. q. 4. ar. 2. Canus lib. 7. de locis c. 3. cõclusionem 3. & lib. 8. ca. 4. cõclusionem prima. Bannes 1. p. q. 1. ar. 8. dub. 5. conclus. 2. & dubio vlt. cõclusionem prima, & conueniunt cõmuniter doctores. Fundamentum est: quoniã vbi eiuſdem facultatis periti dissident, signum est non esse euidentem consequentiam ex principijs illius: ideoq; quando Doctores Catholici dissident circa materiam Theologicam, non sunt euidentia, ac certa testimonia, seu principia fidei, quibus alterutra opinio nitatur, atq; adeo tota res est reducenda ad rationem, & auctoritatem humanam: quæ sola non est certum argumentum Theologicum, sed sola vis probabilitatis erit in ea sententia ex auctoritate humana fallibilis: quæ eo maior aut minor erit, quo doctores, qui alteram sequuntur partem, plures ac grauiores fuerint. Nõ enim solo numero res expendenda est: fieri. n. poterit, vt pauciores, si singuli magnæ auctoritatis sint, reddant sententiam probabiliorem oppositam, quam plures sequuntur. Attendere tamen debet Theologus in primis an sit aliqua diffinitio Ecclesiæ ea de re, vel cõmunis fidelium cõsensu oppositum credat: tunc enim vt ait D. Thomas quodlib. citato auctoritas vnus, vel reliquorum, nõ reddit probabilem sententiam: nec excusat eos, qui aliorum auctoritate ducti ita sentiunt: quæ ratione non excusabatur, qui suo tempore sequebantur Nestorium, & alios Hæresiar-chas. Deinde verò cõsiderare etiam debet, an post doctores Catholicos, quos sequit, extet aliquod Ecclesiæ decretum de quæstione inter eos controuersa: tunc enim doctorum sententia non conciliat probabilitatem opinioni ab Ecclesiâ reprobate, vel eius decreto minus cõformi. Exempli causa ante Concil. Viennens. non erat de fide certum, sed inter doctores controuersum, an paruulis in Baptismo conferretur gratia, & habitus virtutum supernaturalium, in eo verò Concilio approbata est pars affirmatiua tanquã probabilior, vt habetur cap. Maiores de Baptismo, & eius effectus, post quam approbationem, etiam contraria opinio habuisset antea plures & grauiores patronos, nihilominus minus probabilis re-

putari debebat, quia ea Ecclesiæ approbatio plus momenti habet, quam multi doctores. At verò quia postea eadem sententia affirmans tanquam dogma fidei est recepta, ac diffinita à Concilio Tridentino sess. 6. Can. 11. iam desinit opposita esse opinio, nec vlla auctoritas humana doctorum illi suffragatur. Simile exemplum sumi potest à sententia Alens. 4. p. quæst. 9. m. 1. & Bonauent. in 4. d. 7. art. 1. quæst. 1. asserentium confirmationis sacramentum, non esse à Christo sed à Spiritu sancto p. Apostolos, vel Ecclesiam institutum, quod item de extrema vnctione docet item Bonauentura dist. 23. ar. 1. quæst. 2. post Hugonem Victorinum lib. 2. de Sacramentis, prima parte cap. 2. & Magistrum in 4. dist. 23. cap. 1. & tamen oppositum est iam de fide definitum à Concilio Tridentino sess. 7. cap. 1. vbi decernitur omnia sacramenta instituta esse à Christo, & sess. 14. Canon. 1. hoc ipsum in particulari diffinitum de extrema Vnctione. Quod in multis alijs cerni potest: ideoque semper Theologo in promptu esse debent Ecclesiæ detrecta, quæ successione temporis pro rerum circumstantijs, ac necessitate stabiliuntur, ne sola doctorum lectione contentus aliquid ex ipsis hauriat, quod falsa fide defendi nequeat: ad quod etiam proderit non solum antiquos, sed etiam recentiores scriptores perlegere: hi enim solent lucubrationes suas recentibus Ecclesiæ decretis illustrare, ac confirmare.

Sed quæstio est, quæ certitudo sumatur ex communi sententia doctorum, & quidem, si de iuris peritis agamus, dicendum est sumi ex illis argumentum moraliter ferè certum quo ad ea, quæ pendent à iure humano, non autem quoad dogmata fidei, & morum, quatenus pendent ex iure diuino. Ita docet Canus lib. 8. de locis cap. vlt. Bannes art. 8. in fine. Prior pars per se patet: nam, vt ait Auerroës in principio lib. de anima relatus à Diuo Thoma in 4. dist. 49. quæst. 1. art. 1. impossibile est vt sit falsum quod à pluribus dicitur: quæ impossibilitas non est physica, sed moralis, & idcirco generat certitudinem moralem. Idem indicauit Aristoteles lib. 7. Ethico. cap. 14. asserens non perdi opinionem, quam populi multi probant. Nomine autem communis opinionis non intelligo eam quam iuris periti latè communem vocant, cui potest dari opposita etiam communis, hæc enim solum probabile argumentum suggerit, sed eam, quam omnes, vel ferè omnes sequuntur: magnum enim in rebus humanis argumentum est veritatis, placuisse tot viris ingenio ac doctrina præstan-

Concil. Trid.

Alens.
Bonauent.S. Bonauent.
Hugo Victor.

Magist.

Concil. Trid.

III.

Canus.
Bannes.
Auerroës.
S. Thom.

Aristot.

Nauarr.

Canm.

IV.

tibus. Quæ regula aliquando fallit, quando scilicet posteriores, primum aliquem ducem sequuti absque ullo examine, & discussione veritatis sola eius autoritate ducti eandem sententiam sequuntur, ut notat Nauarr. in Manual. cap. 27. numero 189. Posterior pars etiam est manifesta: nam eiusmodi dogmata propria sunt facultatis Theologicæ, ac proinde ad illorum confirmationem parum valet iuris peritorum autoritas. Quod dixi de communi sententia iuris peritorum in ijs, quæ pendent à iure humano, similiter dicendum est de communibus Philosophorum placitis: quæ pro certissimis habenda esse in rebus philosophicis, probat Canus lib. 1. de locis c. 4. & patet ex ratione superius explicata.

Dico tertium. Testimonium Patrum, vel doctorum scholasticorum communiter asserentium aliquid ad fidem, vel Theologiam pertinens, simpliciter tamen, & non indicando esse dogma fidei, esse debet argumentum firmum Theologo, sed citrà infallibilitatem fidei, quod non est intelligendum, si forte esset inter Patres, Theologosque dissensio: nam ea ipsa dissensio satis ostendit non inesse alterutri parti totam probabilitatem veritatis: intelligi itaque debet, quando vel soli Theologi, aut soli Patres, vel utriusque aliquam simpliciter asserunt. Posterior pars quo ad sanctos Patres ostenditur: quoniam quando simpliciter asserendo aliquid dicunt, neque habent infallibilem assistentiam, ut non errent, neque testificantur de veritate fidei: ergo non præbent infallibile veritatis argumentum. Patet consequentia: nam in ijs, quæ superant captum nostrum, neque euidenter agnoscí possunt, omnis certitudo sumenda est ab autoritate diuina, hæc autem dupliciter nobis proponi potest, vel tanquam ab habente assistentiam Spiritus sancti ne erret, vel tanquam à testibus sufficientibus, & omni exceptione maioribus: Patres non habent infallibilem assistentiam: cum verò simpliciter aliquid asserunt non indicando esse dogma fidei non præbent testimonium, quod res sit reuelata, & certa fide credenda: imò si forte ea dere interrogarentur, dubitarent: ergo communis ipsorum opinio de re aliqua simpliciter asserta non continet infallibile argumentum Theologicum. Accedit quod Summus Pontifex, utpote caput Ecclesiæ, & Petri Successor, in rebus fidei non minorem habet autoritatem, quam doctores omnes:

& tamen cum simpliciter aliquid astruit non diffiniendo, nequaquam præbet infallibile argumentum. Quod si hæc vera sunt, facillè eodem argumento constat ex communi Theologorum eodem modo loquentium, non sumi infallibile argumentum, ut expressè tradit etiam Canus lib. 8. de locis cap. 4. conclusionem 2. & Bannes 1. part. quæstion. 1. articul. 8. dubio vltimo. ad tertium, suadet etiam ex eo, quod notauit etiam Bannes citato dubio vltimo post secundam conclusionem, nempe fieri posse, ut sit opinio aliqua communis inter Theologos, quæ postea successu temporis definat esse talis, si recentiores oppositam firmis rationibus, & Patrum autoritatibus confirmari, & sequi incipiant.

Sed quid dicendum quando omnes simul consentiunt indicando, vel asserendo rem esse de fide. Hæc quæstio seorsim discutienda est, primum quidem de Theologis, deinde de Patribus. Quod attinet ad Theologos, Canus lib. 8. de locis cap. 4. conclusionem 3. & lib. 12. cap. 7. præceptione 8. & Bannes 1. part. quæstion. 1. articul. 8. dubio vltimo conclusionem 3. censent eorum communem sententiam, modo explicato, continere irrefragabile argumentum, adeò ut oppositum communis illius sententiæ sit error in fide, aut illi proximum. Probant ex illo dicto Christi Lucæ 10. *Qui vos audit, me audit*: quod intelligi volunt non solum de primis Ecclesiæ Doctoribus, ac Magistris, sed de futuris toto Ecclesiæ tempore, quamdiu oues eius pascendæ erunt doctrina fidei, ideoque sicut ij, qui primis Ecclesiæ Doctoribus aduersabantur à fide errabant, ita etiam nunc qui contradicunt toti Ecclesiæ Theologorum, qui sunt fidei magistri erroneos censendos esse aiunt. Idem suadet ex Paulo ad Ephes. 4. *Alios ad Ephes. 4. dedit quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios verò Doctores, ac Pastores*, Nomine verò Doctorum Theologos Scholasticos intelligunt. deinde videntur his rationibus: Prima est: quoniam, si omnes Theologi, de fide, & moribus errarent, tota etiam Ecclesia posset errare: quod absurdum est. Sequela ostenditur, quoniam Theologi sunt Doctores populorum, qui proinde eis credere possunt, ac tenentur: si verò Theologi omnes in errore versarentur, exposita esset Ecclesia maximo errandi periculo. Secundo Ecclesia sæpè diffinit tanquam de fide propositiones aliquas, quæ non habentur expressè in sacris literis, sed communiter

& con

& conſtanter aſſerebantur ab omnibus Theologis, ac Doctõribus, qualis fuit hæc: *Chriſtus habet humanam voluntatem*, quam Theologi colligebant ex hac altera de fide, *Chriſtus eſt verus homo*, quod ſimiliter in alijs iactum eſt, & ſimiliter fieri modo po- teſt: ut ſi diffiniatur Chriſtum ab inſtanti incarnationis viſiſſe eſſentiam diuinam, quod omnes Theologi cõſtanter aſſerunt: & colligunt per bonam conſequentiam ex locis ſcripturæ, & alijs fidei fundamentis. Et confirmatur, quoniam Theologi nun- quam conſentiunt in dogmate firmiter a- ſſerendo, niſi propter teſtimonia diuinæ ſcripturæ, aut Eccleſiæ diffinitiones, ex quibus dogma illud manifeſtè colligitur, & nullum ab ijs communiter ita recipitur, quod non ſit verum, & receptum ab Ec- cleſia, eorum autoritate inducta.

VI.

Non video tamen ex quo capite com- munis opinio Theologorum in rebus fi- dei ac morum habeat inſallibilem autho- ritatem, ita ut qui oppoſitum ſenſerit, me- rito damnandus ſit hæreſeos, aut erroris. Etenim certitudo inſallibilis, qualis ad fi- dem requiritur, niti debet promiſſione a- liqua Dei de aſſerendo ſpecialiter doctri- næ aliquorum ne aberrent, qualem habue- runt Apoſtoli Luca 21. *Ponite in cordibus ve- ſtris non præmeditari, quemadmodum reſpon- deatis, ego enim dabo vobis os, & ſapientiam, cui non poterunt reſſere, & contradicere omnes aduerſarij veſtri.* Non extat autem vlla pro- miſſio Dei circa Theologos ſcholasticos: ergo quantumvis omnes conueniant in a- liqua aſſertione, non propterea illa fidei certitudinem habet. Aſſumptio per ſe pa- tet: nam non habet illam in particulari, nulla enim oſtenditur autoritas ſcriptu- ræ, traditio, aut diffinitio Eccleſiæ, ex qua colligatur: non item ex communi promi- ſſione ſacta Eccleſiæ, quæ proinde ab Apo- ſtolo dicitur, 1. ad Timoth. 3. *Columna, & firmamentum veritatis*: nam licet omnes Theologi ſcholastici errent, non proinde neceſſariò errabit vniuerſa Eccleſia: po- ſſunt enim aliter ſentire Prælati, & Roma- nus Pontifex, & alij fideles: Theologi enim nec re, nec repræſentatione ſunt tota Ec- cleſia: atque adeò errantibus ipſi non ne- ceſſariò errat tota Eccleſia. Deinde hæ ipſæ propoſitiones pertinentes ad fidem, quas communi cõſenſione Theologi recipiunt, ſi diffiniatur ab Eccleſia, ex hac diffinitio- ne fortiuntur maiorem aliquam inſallibi- litatem ac certitudinem quoad nos, quam antea haberent: nõ niſi certitudinem fidei: ergo hanc non habebant ex autoritate Theologorum. Denique metaphyſicè lo-

quendo, non repugnat Theologos omnes ſcholasticos decipi circa aliquã fidei quæ- ſtionem: ergò communis eorum conſenſio non præſtat argumentum inſallibile The- ologo. Patet cõſequentia: nam principium Theologicum non euidens debet eſſe tale, ut ſub ea ratione repugnet illi falſitas. An- tecedens facile oſtenditur, quia non eſt vl- lum principium, ex quo ſumatur talis re- pugnantia, quandoquidem omnis opinio diſcurſu fundata reducitur ex hac parte ad umen naturale intellectus: non repugnat autẽ lumẽ naturale omnium Theologorũ decipi circa vnã vel alterã conſequentiam.

VII.

Dixerim itaq; in primis, Theologos de cõmuni conſenſu aſſerentes aliquid tanquã ad fidẽ pertinens, non reddere ex ſe propo- ſitionem inſallibiliter verã, quaſi ipſi ſint meſura inſallibilis veritatis. Qua in re cõ- ſentit Banes ubi ſupra, nec alij diſcrepabũt: idq; ſatis confirmat argumenta paulò antè propoſita. Dixerim ſecundo, moraliter lo- quendo ex vi teſtificationis ſuæ, præbere grauiffimũ argumentum fidei, non tamen omninò inſallibile aut logicè loquẽdo cer- tum, ſenſus eſt, cùm theologi oēs ſententiã aliquã tanquã fidei dogma proponũt, ex vi huius teſtificationis, ſumi argumentũ, non logicè, ſed moraliter certũ. Hæc eſt de mẽ- te doctõrũ dicetium ſolũ eſſe temerarium diſſidere ab aſſertioe cõmuni ſcholastico- rum. Ita Andreas à Vega lib. 9. in Concil. Trid. c. 14. & alij recentiores. Moralis cer- titudo conſtat, quoniã cũ peritis in ſua arte credendũ ſit, & theologi propriũ ſit ex re- uelatis deducere conſuſiones, nõ videtur fieri moraliter poſſe, ut oēs teſtificetur a- liquid ad fidẽ pertinere, qd ſit falſum, idq; videtur modo aliquo pertinere ad puidẽ- tiam diuinã, ne præbeatur occaſio errandi multitudini fidelium. Nõ dari autẽ certitudi- nem logicã conſtat, quoniã ad hanc ipſam teſtificationẽ non habet inſallibilẽ aſſisten- tiã, quin in teſtificando ex malitiã vel igno- rantia poſſint errare. Et iuxta hanc diſtin- ctionem explicari poſſunt doctores citati, nimirum qd loquatur de certitudine mora- li nata ex teſtimonio Theologorũ, quæ nõ eſt maior quã ſi teſtificaretur de quavis alia re, & tamen ea teſtificatio ſolã moralẽ cer- titudinẽ igneret: ſi verò maiore aliquam certitudinẽ illis tribuant, non ſunt audiendi nec argumenta paulò antè propoſita plus ſuadet. Nõ in primis illa autoritas ſumpta ex Luca c. 10. nã ſi qd facit ad hoc inſtitutũ, præſtat etiã ſingulos doctores errare poſſe, Chriſtus. n. eo loco non loquebatur ſolũ de omnib. collectiuè ſumptis, ſed etiã de ſingulis ſeorſim ſumptis, atq; adeò ſi in-

Bannes.

Vega.

desumitur certitudo infallibilis ad omnes, sumitur etiā ad singulos. Deinde verò hoc est discriminē inter primos Ecclesiæ doctores, ac Theologos scholasticos, quod inter illos erant Apostoli & Euangelistæ, quib. necessario credendum erat, cæteri verò cum ijs constituebant totum corpus pastorum atq; doctorum, quos omnes falli impossibile est, vniuersus verò cætus doctorum Ecclesiasticorum non constat ex solis Theologis scholasticis, quorum scripta & opiniones circumferuntur, nimirū verò tribuit Theologis, qui ipsorum multitudinē concedit eandem veritatis ac certitudinis prærogatiuā, quam primi Ecclesiæ doctores habuerunt. Ex illa quoq; Apostoli sententia ad Ephesios nil cōcluditur: nam Astolus ibi agit de doctorib. ex officio quales sunt Prælati, & ideo Glossa interlin. & alij dicunt cōiunctis simul duo illa verba *pastores, ac doctores*, quoniam pastoribus ac Prælati ex officio incumbit docere populum, vt dicitur in Concil. Trident. sess. 5. cap. 2. de reformatione; & ideo ex vi muneris habet ad hoc speciale adiutoriū Dei: Theologis verò ex solo Theologiæ magisterio non incumbit docere tanquam ex officio ac munere Ecclesiastico: ac proinde ex ratione doctoratus non habent specialem aliquam gratiam ad docendū. Cætera argumenta solam arguunt certitudinē moralem. Ad primū respondeo non sequi de necessitate physica, vel logica, vt errantibus omnibus Theologis scholasticis vniuersa Ecclesia erret: quoniam restat summus Pōtiffex, & alij prælati, qui errantibus scholasticis omnib. possent cum errorem reprobare, quia tamen moraliter sequitur periculū nē Ecclesia erret vniuersa: idcirco etiā cōmunis consensus Theologorū scholasticorum de reb. fidei præbet augmentum moraliter certū de veritate fidei. Ad secundū admitto posse Ecclesiam ex cōmuni attestatione Theologorū moueri ad decernendum aliquid de fide, quamuis exemplum quod adducitur, non est ad rem: neq; enim ante sextam Synodum generalem, in qua decretum est Christum habere voluntatē humanam præcesserant Theologi scholastici, de quib. nunc agimus, neq; ex ipsorum auctoritate, sed ex grauissimis scripturæ testimonijs ad id decernendū synodus inducitur, sed demus fieri posse, vt communis sententia scholasticorū ad id conducatur, nō tamen ex ea mouetur Ecclesia tanquam ex proprio & solo motiuo, nam simul etiam perpendit auctoritates scripturæ, & traditiones Apostolorū, ita vt scholasticorum communis opinio sit quædam dispositio ac

manu ductio, nec in definiendo eorum auctoritate nititur, sed assistētia Spiritus sancti. Ad confirmationē respondeo, etiam si cōmuniter loquendo res ita se habeat, non tamen absolute repugnare, vt aliter se habeat, ita vt decipiantur Theologi omnes in deductione alicuius conclusionis. Neq; verò cōclusiones omnes, de quarū veritate Theologi cōmuniter consentiunt, sunt receptæ ab Ecclesia tanquā dogmata fidei, nā ea ipsa, quā Bannes diffiniri posse ait, nempe, *Christus ab insanti suæ incarnationis fuit quoad animum comprehensor*, nondum est ab Ecclesia tanquā dogma fidei recepta, nec qui illam negaret, esset aperte hæreticus.

Quod attinet ad concordem sententiam Patrum testificantium de veritate fidei idem censent Thomas Vvaldens. lib. 2. doctrina. Vvaldens. lib. 2. de scripturis. Driedo. cap. 3. Franciscus Horantius lib. 5. locorum. Cathol. cap. 3. Canus lib. 7. de locis cap. 3. conclusionē 6. Castr. lib. 1. aduersus hæreticos cap. 7. Bannes art. citato, dub. 5. conclus. 4. Salméron tom. 8. tractat. 2. dum tractat locum sextum Theologicum. Pro qua re eadem ferē adducuntur argumenta: nimirum, quia Concilia in definiendis reb. fidei sequuntur auctoritates sanctorum, vnde & in Concilio Chalcedon. acclamatur hæc fides Patrum: & in eodem Cōcilio dicitur Catholica fides à synodo, quæ secundū sanctorum Patrum interpretationem declaratur, simile quid habetur ex Concil. Vienne. Concil. Clemen. VII. de summ. Trini. in Conc. Nicano secundo, in sexta synodo generali & alijs: idem constat ex epistola Concilij Ephesini ad Nestorium, præcipitur enim illi, vt iuret se sentire, quæ vniuersi Episcopi per Orientē & Occidentem crederent: non minorem verò auctoritatē habet consensus omnium Patrum ab initio Ecclesiæ ad hæc tēpora, quam eorum solum, qui vivebant tempore Cōcilij Ephesini. Deinde argumentatur Castro, Patres per orbem dispersi constituunt vniuersalem Ecclesiam sicut congregati, congregatio enim ad hoc parum facit: sed in Concilio congregati de cōmuni consensu aliquid statuentes, præbent infallibile argumētum: ergo etiā dispersi.

Vt argumentum pro dignitate tractetur, multa essent explicanda, quæ non sunt huius loci: & ideo ijs omisissis quantum pertinet ad præsens institutum, dico in primis hic non tractari, vtrum curanda sit auctoritas Patrum, hoc enim soli hæretici negant, contra quos id luculenter probat Horantius lib. 5. locorum catholicorum cap. 1. 2. & 3. Stapleton. controuersia 3. lib. 7. cap. 12. & alij, sed supposita praxi Ecclesiæ, & Pa-

trum,

Gloss. interlin.

Concil. Trid.

VIII.

Concil. Chalcedon.

Concil. Vienne.

Concil. Clemen.

Concil. Nicæ.

Concil. Ephes.

IX.

Horantius.

Stapleton.

trum, ut edictorum Patrum testimonij, ut infra videbimus, quaritur quanti momenti sit eorum communis autoritas. Deinde notandum est sanctorum patrum sententiam vel considerari posse in interpretatione sacrarum literarum, vel in dogmatum assertionem; item argumentum infallibile posse sumi dupliciter ex sententia communi Patrum id est, vel à priore tanquam à ratione & regula infallibili, vel à posteriore, & tanquam à signo. Item quando loquimur de communi sensu Patrum, vel loquimur de omnibus, qui fuerunt orthodoxi ab initio nascentis Ecclesiae usque ad tempora nostra, vel solus de ijs, qui de fide scripserunt, quorum sententias scimus, quomodo loquuntur auctores citati: nam eorum, qui nihil literis mandarunt, sententiam ignoramus, ideoque nescimus an ipsi fuerint in eadem sententia, & quidem, si de omnibus omnino loquamur, certum & infallibile signum est veritatis reuelatae: cōcors ipsorum de eadem assertio: nam cum Ecclesia sit columna & firmamentum veritatis, i. ad Tim. 3. atque adeo in fidei dogmatis falli nequeat, necesse est ut ipsius pastores omnes, ac doctores simul sumpti non errauerint: maxime cum fides plebis sit fides praesulum, quae admodum itaque repugnat in quouis saeculo & aetate, omnes Ecclesiae pastores nullo excepto in fidei errore versari, ita quoque repugnat errasse omnes quotquot post Apostolos fuerunt ab initio nascentis Ecclesiae. Neque hac de re Catholicus ullus dubitavit, soli hoc negant haeretici, qui solum Dei verbum scriptum curant, quos non est huius loci impugnare. Sed iam dicendum de communi Patrum sententia ad modum, quo loquuntur scholastici, hoc est de ijs, quorum monumenta extant.

De quibus dicendum primo: Communitas Patrum interpretatio scripturae, ac dogmatis in ipsa fundati, continet irrefragabile fidei argumentum à posteriore, & à signo. Ita docet Stapleton. controuersia 6. li. 11. cap. 5. Canus li. 7. de locis cap. 3. concl. 5. & Bannes citatus, & est de mente aliorum Doctorum, quos retuli num. 7. Sensus est infallibilitatem eius sententiae non sumi ex infallibili ipsorum autoritate ac iudicio, sed ex eo quod ipsi sint tanquam haecque totius Ecclesiae, ac testes fidei, quae ipsa tenet. Prior pars suadet, quoniam sicut singuli labi potuerunt, ita non repugnat physice loquendo, ut omnes laberentur, nec habemus infallibilem promissionem Dei, ex qua sumatur infallibilis omnino assistentia Spiritus sancti: nam locus ille, Ezech. 34. Dabo vobis pastores iuxta cor meum, qui pascant vos scientia & doctrina: intelligi in primis potest

de Apostolis, qui omnes ac singuli habebant assistentiam Spiritus sancti, ne in predicatione Evangelij errarent, si verò de ceteris intelligatur, humano more intelligi debet: nam quis neget Hieronymum, Augustinum, & alios Ecclesiae Doctores seorsim sumptos, pauisse Ecclesiam Dei scientia & doctrina: & tamen in aliquibus, ut homines lapsi sunt: ita suo modo dici potest patres omnes, quanuis in re aliqua decipi potuerint, pauisse Ecclesiam doctrina & scientia, quia eam scriptis illustrarunt, & quauis ad diuinam prouidentiam spectet manu tenere eos, ne errarent, tamen haec non arguit in singulis assistentiam & directionem Spiritus sancti, sed à posteriore concludit non posse omnes errare, ne eo dato erret Ecclesia: itaque à priore non video, quomodo communis ipsorum autoritas contineat infallibile fidei argumentum: nam hoc soli Ecclesiae, & ipsius capiti tribuitur, etiam in interpretatione sacrarum literarum, ideo enim in Concilio Trident. sess. 4. in decreto de editione librorum, & in Clem. vnica de sum. Trinitate dicitur, interpretari scripturam non esse nisi Ecclesiae, & sedis Apostolicae: quod intelligendum est auctoritativè, & infallibiliter ex assistentia Spiritus sancti, at Patres omnes, qui scripserunt, simul sumpti, nec modò, cum non sint de corpore Ecclesiae militantis, nec vnquam cum non simul in ea vixerint, constituebant, aut representabant totam Ecclesiam. Altera pars assertionis suadet, quoniam impossibile est Ecclesiam vniuersam errare circa scripturae interpretationem, & dogmata fidei, quae eadem nituntur: erraret autem, si communis Patrum interpretatio non esset vera: quare haec recipienda est tanquam vera, & irrefragabilis. Assumptio ostenditur, quoniam Ecclesia praecipit, ne quis scripturam sacram contra vniuersum consensum Patrum interpretari audeat: ita Concil. Tridentin. sess. 4. in Bulla Pij Quarti per Pium Quintum renouata, idem praecipit concionatoribus in Concil. Lateran. ultimo, action. 11. Item eadem Ecclesia damnat eos, qui nouas expositiones contra communem Sanctorum Patrum consensum introducere conantur, quo pacto damnati sunt Origenis discipuli in sexta Synodo generali, actione vndecima, & act. decimatertia, in epistola Synodali Sophronij, & Canon. 19. Trullanae Synodi sic habetur: Si ad scripturam pertinet controuersia aliqua excitata fuerit, ne eam aliter interpretentur Ecclesia praesides, quam quomodo Ecclesiae luminaria, & Doctores suis scripturae expo-

Concil. Trid.
Clem. vnica.

Concil. Trid.

Concil. Later.

VI. Synod.
Synod. Trull.

Gregor.
Cass.
Bannes.

Ezech. 34.

e *xposuerunt*. Ex quibus constat Ecclesiam obligare velle fideles, vt communem patrum interpretationem tanquam veram amplectantur: si verò ea falsi aliquid circa fidem, ac mōres contineret, Ecclesia præcipiens, vt ea ab omnibus recipiatur, hoc ipso erraret. Deinde verò singulæ Ecclesiæ cum suo capite ex tali præcepto de facto poterunt, imò tenentur sequi eiusmodi interpretationem, quod si ea falsa sit, iam tota Ecclesia vniuersalis errabit. Quæ illationem vidit Nestorius damnatus à Concilio Ephesino, vt refert Vincentius *Concil. Ephes. Vincent. Lirinens.* Lirinensis libello aduersus prophanas nouitates, sic enim ait Concilium: *Inuēti sumus in Nestorij sceleratam præsumptionem, quod sacram scripturam, se primum & solum intelligere, & omnes eos ignorasse iactaret, quicumque ante se magisterij munere præditi diuina eloquia tractauissent, totam etiam Ecclesiam nunc errare, quæ, vt ipsi videbatur, ignaros Doctores sequeretur, quia videbat sequi errare Ecclesiam, si omnes antiqui pastores ac doctores errassent, vtrumque proteruè asseruit, & propter vtrumque est à Concilio damnatus: At, inquiet aliquis, aliud est sententiam aliquam esse veram, aliud de fide tenendam, & hoc argumentum solum probare communem Patrum expositionem non esse falsam, sed veram; ex hoc autem non sequi esse Catholica fide tenendam. Verum hæc responsio non soluit argumentum: namque aliud est assertionem simpliciter enuntiatam esse veram, aliud verò propositionem attestantem dogma fidei in scripturis fundatum, vel sensum ipsius scripturæ: nam si propositio asserens sententiam aliquam esse de fide, vel hunc, aut illum esse scripturæ sensum, vera est, verum quoque est sententiam illam fide tenendam, & scripturam ita explicandam: sed omnis verus sensus scripturæ est intentus ab Spiritu sancto, ac de fide tenendus: ergo communis Patrum interpretatio continet infallibile argumentum fidei à signo, & attestatione.*

XI.

Dico secundum. Communis consensus Patrum de rebus fidei, etiam absque scripturæ testimonio est argumentum plusquam moraliter certum, ac fidei proximū. Hic non consideratur eiusmodi consensus, quatenus iudicio totius Ecclesiæ est approbatus, tunc enim iam propriè ac manifestè ad fidem pertinet: sed quatenus communi Patrum, quorum sententias & scripta habemus, autoritate nititur. Prior pars est inter Catholicos communis, & à solis hæreticis negatur. Et faciliè suadetur, quoniam maior est Patrum autoritas, quoad

dogmata fidei, quam Theologorum scholasticorum, propter illorum sanctitatem, antiquitatem, & doctrinam Euangelicam & Ecclesiasticam, sed communem Theologorum consensum dixi esse argumentum moraliter certum: ergo communis consensus Patrum habet aliquid amplius. Nam Theologi ab hinc quadringentis annis, Patres autem à temporibus Apostolorum inceperunt: & doctrinam fidei ab illis acceptam, quasi per manus traditam, ad posteros transmiserunt, vt ait Athanasius in libello pro decretis Synodi Nycen. *Ecce nos, inquit, demonstrauimus istiusmodi sententiam à Patribus ad patres, quasi per manus traditam esse.* & Augustinus de peccator. meritis, ac remission. lib. 3. cap. 7. cum Hieronymus post alios patres citasset, subdit: *Hæc idem ex illo commemorauit, non quod disputatorum quorumlibet sententijs, tanquam canonica autoritate nitamur, sed vt appareat ab initio vsque ad tempus præsens, quo ista nouitas exorta est; hoc de originali peccato, apud Ecclesiæ summam constantiam custoditum esse.* Ex quibus verbis elicitur de mente Augustini, etiam quorumlibet patrum autoritatem esse infra autoritatem librorum canonicorum, & proinde non ratione sui constituere infallibilitatem fidei, sed tanquam testes & custodes depositi doctrine Euangelicæ ab Apostolis traditæ. Credendum itaque est patribus, vt custodibus veræ fidei, vt testibus & obligatoribus, rectè enim Ambrosius lib. 3. de fide ad Gratianum cap. 7. *Seruemus igitur, inquit, præcepta maiorum, nec hereditaria signacula ausi ruditer meritis violamus: librum sacerdotalem quis nostrum resignare audeat signatum à confessoribus, & multorum iam martyrio consecratum: præcepta, & doctrinam maiorum appellat Ambrosius hereditaria signacula.* Ex quibus, & alijs similibus fumitur posterior assertio pars, qua dicitur communem autoritatem patrum reddere sententiam fidei proximam. Ea verò probatur ex communi vsu, & sententiæ recentiorum, qui aduersus hæreticos vtuntur patrum sententijs post scripturarum traditiones, & Ecclesiæ diffinitiones; quasi proximè ad hæc accedant; hæc autem continent autoritatem fidei: Item Concilia antiqua, & Patres in rebus fidei antiquiorum Patrum testimonijs vtentes, veram & antiquam Ecclesiæ fidem se tenere præferebant: nam Concilium Ephesinum generale tertium in declaratione fidei sic incipit: *Sequentes itaque omnium sanctorum Patrum confessiones, & intentiones eorum æquis vestigijs insistentes profitemur, &c.*

Et eo-

Et eodem fere modo habetur in Concilio Chalcedonen. Actione 4. Denique ut alia omittam, Clemens Papa in Concilio Viennensi, Clement. vnica de summa Trinitate: Nos, inquit, ad sanctorum Patrum, & doctorum communem sententiam Apostolica considerationis aciem conuertentes declaramus, &c. Idem fuit vsus Patrum August. li. i. contra Iulianum cap. i. Irenæ. lib. 4. cap. 43. Basil. & Gregor. Nazianzen. ut notat Rufinus lib. 2. cap. 9. Gregor. Nazianzen. lib. 2. de Theologia, & aliorum apud Stapletonum controuersia 3. lib. 7. cap. 12. quod adeo olim fuit vsurpatum, ut Eusebius Cæsariensis lib. 2. historia tripartita, cap. iii. rationem reddens, cur in Concilio Nicæno contra Arium consensisset, sic ait: Nos concilio consensimus, quoniam & priscorum Episcopos aliquos conscriptores eloquentes & nobiles nomine consubstantialis olim vsus fuisse agnouimus. Porro hæc certitudo fumitur ex triplici capite, primo ex suaui prouidentia Dei, ad quam pertinet eos pastores ac doctores Ecclesiæ dare, & ita eos illuminare ac dirigere, ut ne in fidei dogmatibus vniuersi fallantur, & sint toti Ecclesiæ erroris occasio. Deinde ex tacita quadam Ecclesiæ approbatione, quæ falsæ dogmata non sinit crescere, sed damnat ac reprobant ut bene notauit Gregorius lib. 20. Moralium cap. 7. Liqueat, inquit, quod Arius, Photinus, Eunomius, multiq. his similes docendo, atque suadendo conati sunt Patres videri, sed errores eorum sancta vniuersalis Ecclesiæ districta severitate dydicas, eos inter custodes gregis sui non numerat, quos eiusdem gregis vnitatem distantes damnat. Denique ex reliquorum Patrum sequentium consensione: nam si aliquid fidei contrarium reperissent in antiquis, non prætermisissent, quin ad bonum Ecclesiæ obseruassent, ut facit inter dum Hieronymus & Augustin. ex quibus omnibus coalescit magna vis autoritatis, & certitudo ad stabilienda principia Theologica, ea verò si sit de rebus expressè ab Ecclesiâ approbatis, est absque dubio infallibilis: si verò de ijs, circa quæ nullum extat Ecclesiæ decretum, est fidei proxima: nam quod ad fidem non accedat, patet ex tacito testimonio Augustini, qui nullis alijs scriptoribus Ecclesiasticis tantam fidem adhibendam censet, quanta adhiberi debet scripturis canonicis, sed de toto hoc argumento fusè Stapleton. Controuersia 3. lib. tertio, capit. 12. 13. 14. & 15. ubi duos hos modos autoritatis distinguit, & controuersia 6. lib. vndecimo, cap. 5.

Et ad hunc sensum explicandi sunt au-

thores citati, quando communem sensum Patrum dicunt continere doctrinam fidei, nempe quando interpretantur sensum scripturæ, ita enim aliqui eorum se explicant: vel quia quasi testes protestantur fidei successionem in Ecclesiâ; hoc autem ipsorum testimonium est maximæ autoritatis, ut dixi. Verum quatenus eorum præcisè dictis innitur, non constituit rem formaliter de fide, sed illi proximam: cui ad rationem formalem fidei nihil amplius deesse videatur, quàm ut accedat autoritas vniuersalis Ecclesiæ. Ex quo patet solutio ad primum argumentum: nam quia Patres testantur de vera fide, & eius successionem ab Ecclesiâ primitiua, rectè Concilia eorum autoritate mouentur ad decreta condenda: ita tamen ut infallibilitas definitionis, non sumatur ex præcisa autoritate Patrum, sed ex assensu Spiritus sancti, qui Ecclesiâ dirigit in decretis de fide ac moribus. Ex epistola verò Concilij Ephesini non colligitur solum consensus Patrum, qui scripserunt, constituere rem formaliter de fide: sed consensus Patrum in Concilio approbatum, & circa rem ab Ecclesiâ determinatam, quale erat decretum Synodi Ephesinæ contra Nestorium; deinde Concilium loquebatur de omnibus Episcopis tunc existentibus, quicum suo capite, hoc est, Romano Pontifice constituebant, vel repræsentabant vniuersam Ecclesiâ: hanc verò circa fidem errare impossibile est. Ex quo constat discrimen inter vniuersitatem Episcoporum simul viuientium, & Patrum, qui scripserunt: hi enim nec sunt, nec repræsentant totam Ecclesiâ, illi verò maximè. Ad argumentum Caltri respondeo eadem solutione: nam Episcopi omnes includendo summum Pontificem habent autoritatem Ecclesiæ sui temporis: at patres, qui tempore decurso floruerunt, simul sumpti eam nunquam habuerunt. Accedit quod non est improbabilis opinio, quæ ait Patres in Concilio congregatos, non accedente confirmatione summi Pontificis errare posse, & ideo ex multitudine præcisa Patrum, nisi includatur caput, non redditur res formaliter de fide.